

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XXVII. Parænesis ad charitatem proximi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

est, verba Dei audit. QUINTA, quod omnes Doctores institutoresque aliorum excellens maneat remuneratio in cœlis. Divini enim oraculi Dan. 22. v. 5. vox est: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamem. &c. Et Christi, Matth. 5. v. 20. Qui, &c.

In EPILOGO monebis Auditores, ut de parvulis studeant bene mereri, eorumque animos ad pietatem formare: quia Magister noster & Princeps præceptorum Christus parvulis se perquam familiarem exhibuit, hos ad se adduci jussit, venientes ultrò amplexus est, & amicè osculatus. His suas ipse manus imposuit, ac benedixit: his ministros & custodes Angelos deputavit, hos deum cœlestis regni cives, & præ aliis hæredes quasi proprios fecit. Adde quod pœnam illi gravissimam interminatus, si quis unum è parvulis, sive in fidei doctrina, sive in virtutibus scandalizet: & quod in parvulos collatum beneficium, adeo sibi gratum fore pronuntiat, ut quicunque illius nomine parvulum suscepere, Christum ipsum suscipiat, habeatque perpetuum debetorem.

XXVII. PARÆNESIS AD CHARITATEM PROXIMI.

Vide Pdoan.
Buseum in
Virid. Virt.

Matth. 22.
v. 37.
Marc. 12.
v. 38.

IN EXORDIO ostendes ex cap. 5. v. 22. & 6. v. 12. Matthei, cum, qui odium aliquod fovert in corde, non solum non posse uti sanctissimis Sacramentis; sed nec unicam Dominicam Orationem sine mendacio recitare. Christus enim ait c. 5. Si offeras, &c. & in Oratione Dominica 6. jussit nos dicere; Et dimitte, &c. qui autem odium fovert in corde, non dimittit debitum proximo, ideoque mentitur.

PROPOSITION: Ne igitur ab usu Sacramentorum excludamus, & dicto mendacio nos coinqui-

PROXIMI.

105

quinemus, ad ardorem proximi charitatem nos
incitabo.

C O N F I R M . I. **L O C U S**, à dignitate & excellenza Charitatis, quā declarant S. Litteræ: Nam **P R I M ò**, Christus mandatum Charitatis vocat primum & maximum, quo aliud majus non sit, cui Scriba apud Marcum addidit: *Diligere proximum tanquam te ipsum, majus est omnibus holocaustis & sacrificiis.* Deinde Apostolus eam refert inter dona Spiritus sancti, (*Rom. 5. v. 5. Gal. 5. v. 22.*) & anteponit omnibus donis & virtutibus (*1. Corinth. 12. v. 31. c. 13. v. 13.*) ad *Col. v. 14.* post enumeratas præcipuas virtutes: *Super omnia autem hac, ait, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Adhæc S. Joan. in *1. Epist. c. 4. v. 16.* Deus, inquit, *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Deniq; Scriptura tribuit charitati ea, quæ sunt gratiæ. Gratia enim facit nos *divinae consortes natura*, ut loquitur B. Pet. *epist. 2. c. 1.* *filios Dei, & coheredes Christi*, ut loquitur Paulus (*Act. 8. v. 16.*) At S. Joannes in *epist. 1. c. 4. v. 9.* ait: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* **S E C U N D ò**, facit nos Deo delectos, ut S. Joan. ait, *14. v. 1.* *Si quis diligit me, diligeretur a Patre meo.* **T E R T I ò**, dicitur vita animæ; ut *Joan. 3. v. 14.* dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* &c. *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* **Q V A R T ò**, facit hominem è peccatore justum, ut *Luc. 7. v. 48.* dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* **Q V I N T ò**, conjungit hominem Deo, uti *Joan. 4. v. 16.* dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

SS. Patres omnibus his Spiritus sancti dictis subscribunt. **C L E M E N S A L E X.** (*in paren.*) vocat Charitatem præcipuum homini Christiani munus. **C Y P R I A N U S** (*de Patient.*) fundatum pacis, tenacitatem ac firmitatem unitatis,

G 5

quæ

quæ & opera & Martyria præcedit. BASILIUS
(Orat. de 3. d.) radicem mandatorum. NAZIAN-
ZE NUS (ep. 20. ad Thes.) cunctarum virtutum ma-
trem. EPHRÆM (doct. de Humil.) omnium virtu-
tum columnam. AUGUSTINUS (Serm. 35. de
Temp.) artem omnium virtutum. B. PROSPER
(lib. 3. Vita cont. c. 13.) affectionum omnium poten-
tissimam, in omnibus semper invictam, actio-
num bonarum summam, salutem morum, finem
ecclœstium præceptorum, mortem criminum, vi-
tam virtutum, &c. GREGORIUS MAGNUS
(lib. 6. epist. 60.) matrem & custodem omnium bo-
norum, &c.

Gal. 5. v. 22.

LOCUS II. à fructibus. Cùm enim Charitas
inter fructus Spiritus Sancti apud Apostolum
principem locum obtineat; non potest non o-
ptimos spirituales fructus progignere; inter quos
est PRIMUS, quod amet omnium virtutum
societatem. I. ad Cor. 13. v. 4. Charitas patiens est,
&c. SECUNDUS, quod valeat ad expienda pec-
cata & imperfectiones. Prov. 10. Univera delitti
operit charitas. Prov. 4. v. 8. Charitas operit multitu-
dinem peccatorum. Jac. 5. v. 20. Qui converti fecerit
peccatorem ab errore via sue, salvabit animam ejus
à morte, & operiet multitudinem peccatorum.
Christus (Luc. 7. v. 47.) de muliere peccatrice: Re-
spittuntur ei, &c. TERTIUS, quo charitate præ-
ditis nihil mali adversive evenire possit. Rom. 8.
v. 28. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia
cooperantur in bonum. Causa huius fructus vide-
tur, quod diligentibus Deum non solum vita æ-
terna, sed & protectio divina peculiariter pro-
missa sit. Paulus (I. Cor. v. 9.) ex Esaia ait: Oculus
non vidit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt il-
lum. Jac. 1. v. 12. Coronam vita repromisit Deus dil-
gentibus se. Et Christus (Joan. 14. v. 21.) Quid diligit
me diligeretur à Patre meo. & ego diligam eum. &
MANUS

PROXIMI.

107

manifestabo ei meipsum. Et David Ps. 144. v. 20. Cu-
stodit Dominus omnes diligentes se. **QVARTUS**
quod excludat omnem timorem, si perfecta sit.
1. Joan. 4. v. 18. Perfecta charitas foras mittit timorem.

In quæ verba S. Ambrosius: Generaliter quidem ait, Serm 9. in
charitas excludit timorem, ut miles, qui imperatorem Psal. 118.
diligit, bella pro imperatore suscepit non metuit: ut
servus amans dominum, quamvis per dubia & praru-
pta mittatur, tamen omnia pericula domini amore
contemnit, ac si quis dominum petat, seipsum offerre
non trepidat: ut qui transmare positos, filios videre de-
siderat, non metuit naufragia, liberorum charitate
ingreditur maris fluctus, subit incerta negotia: sed me-
tum discriminis levant desideria filiorum, &c. Hunc
fructum perceperat, qui dixit: *Quis ergo nos se-* Rom. 8. v. 55
parabit, &c. Eodem pertinere putat S. Augusti-
nus dictum Sponsi Cant. 8. v. 6. Fortis ut mors di-
lectio, cum inquit in Psal. 55. Resistitur ignibus, undis,
ferro; resistitur porestatibus, resistitur Regibus, venit
una mors, quis ei resistet? nihil est illa fortius; Propter-
ea viribus ejus charitas comparata est: quia enim ipsa
charitas occidit quod fuimus, ut simus quod non era-
mus, facit in nobis quandam mortem dilectio. Et S.
Gregorius Hom. 11. in Evangelia: *Sicut, ait, mors*
corpus interimit sic ab amore rerum corporalium aeterna
vita & charitas occidit, &c.

II. **Locus à necessitate.** Nam licet Christus
utramque dilectionem Dei & proximi à nobis
postulet præcipue tamen videtur exigere dilec-
tionem proximi. **Quia** apud B. Joannem migra-
turus ex hac vita discipulis dixit: Mandatum C. 13. v. 34.
novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. c. 15. v. 12.

Ex: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem,*
sicut dilexi vos. Cur novum vocat præceptum,
quod erat vetus? cur suum, quod erat Dei Patris?
nisi quod velit illis tanquam præcipuum, & tan-
quam suum & novum, commendatum? unde S.

Joan-

*In commun.
in epist. ad
Heb. lib. 3.
cap. 9.*

Joannes huius testamenti Christi archigrammati, auctore B. Hieronymo, cum Ephes moratur usque ad ultimam senectutem, ut vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec possit in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres, quae aderant tatio affecti quod eadem semper audire dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? respondit dignam Ioanne sententiam: Quia primum Domini est, & si solum fiat, sufficit. Hinc & Apostolus Paulus non semel in una dilectione proximi plenitudinem Legis posuit. Adhac certe virtutes, imò & dona supernaturalia charitate destituta non possunt nobis prodesse ad salutem. 1. Cor. 13. v. 2. Si linguis, &c. S. Cyprianus (Lib. de unit. Eccl.) & Augustinus (Lib. I. de Bap. contra Donatistas, cap. 8. & 9.) exemplum addunt de hereticis & scismaticis, quibus etiam per pessum profide Martyrium non prodest, eò quod charitatis jacturam fecerint, separando se ab Ecclesia.

In EPILOGO hortaberis Auditores, PRIMÒ ut consideratis Divinis beneficiis, maxime beneficio Redemptionis, ardenter ament Deum. Rectè enim, inquit S. Basilius, Charitas erga Deum confidetur datus ab eo beneficiis recto iudicio & equitate que estimandis, iisque grato animo prosequendis. In Reg. brev. q. 212. DEINDE ait, considerando quod quicquid boni præstamus proximo, id Christus sibi fieri declaraverit, & comprimendo amorem sui, tanquam omnium pravarum cupiditatum fontem, etiam proximum diligent propter Deum sicut seipso. Joan. 13. v. 15. In hoc, &c. Matth. 25. Esurivi, &c.